



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER SACRAS** TEMPLUM PAROECIALE SANCTAE ANNAE,  
QUOD IN URBE «RENGO»

INTRA FINES RANCAGUENSIS DIOECESIS EXSTAT,

AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras aedes  
Rancaguensis dioecesis in Chilia merito celebratur templum paroeciale Sanctae Annae, quod in urbe «Rengo» superiore  
saeculo aedificatum, post gravissimum terrae motum inter annos MCMXCII-MCMXCVI feliciter restitutum est. Quod  
quidem, curis sodalium Congregationis Augustinianorum ab Assumption creditum, constat esse quandam fontem  
religiosae et civilis vitae eiusdem communitatis necnon notum centrum operum pastoralium et caritatis praesertim pro  
egenis atque aegrotis. Qua re, cum Venerabilis Frater Franciscus Xavier Prado Aráguiz, Episcopus memoratae Sedis,  
litteris die XII mensis Februarii hoc anno datis, etiam cleri populi sui nomine postulaverit ut templum idem titulo ac  
dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum istis dilectis Chilensis filiis  
cupientes praebere, eius Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis,  
quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa  
Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum paroeciale, quod diximus, ad Basilicæ  
Minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc  
nomine insignitis rite competit, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX  
mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse  
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI  
mensis Maii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana*